Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26045
Copyright: Admont, Benediktinerstift

In requie apud deum in honore magno, ut in Abrahe sinum Labarus adiutus
ille pauper post corporis exitum levaretur, et in Abrahe sinu de longinquo a super-
bo divite videretur. Ergo radix manet, radix laudatur; sed rami superbi et prae-
cidi et arescere meruerunt; oleaster autem humilis illorum praecisione invenit
locum. Audi ergo quemadmodum praecidantur rami naturales, quemadmodum in-
seratur oleaster: ex ipso centurione, quem propter comparationem huius reguli
commemorandum putavi. Amen dico vobis inquit, non inveni tantam fidem in
Israel. Propterea dico vobis, quia multi ab oriente et occidente venient. Quam
late terram occupaverat oleaster! amara silva mundus hic fuit. Sed propter
humilitatem, propterea non sum dignus ut sub tectum meum intres, multi ab oriente
et occidente venient. Et puta quia venient. Quid de illis fiet? Si enim ve-
nient, iam praecisi sunt de silva. Ubi inserendi sunt ne arescant? Et recumbent in-
quit cum Abraham, Ysaac et Iacob. In quo convivio? Ne forte non invites ad semper
vivendum, sed ad multum bibendum, recumbent cum Abraham, Ysaac et Iacob.
Ubi? In regno inquit celorum. Et quid erit de illis qui venerunt de stirpe Abrahe?
Quid fit de ramis quibus arbor plena erat? Quid nisi quia praeciduntur, ut et isti inse-
rantur? Doce quia praeciduntur: Filii autem regni ibunt in tenebras exteriores.
Habeat ergo apud nos honorem propheta, qui non habuit honorem in patria sua. Non
habuit honorem in patria in qua conditus est; habeat honorem in patria quam
condidit. In illa enim conditus est conditor omnium, conditus in illa est secundum formam
servi. Nam ipsam civitatem in qua conditus est, ipsam Syon, ipsam Iudeorum gentem,
ipsam Ierusalem ipse condidit, cum esset apud patrem verbum dei. Omnia enim per ip-
sum facta sunt, et sine ipso factum est nichil. De quo illo ergo homine deo et ho-
mine audivimus: Unus mediator dei et hominum homo Christus Ihesus, et iam psalmus
prolocutus est dicens: Mater Syon dicet homo. Quidam homo mediator dei et
hominum, homo, mater Syon dicet. Quare mater Syon dicet? Quia inde
accepit carnem, inde virgo Maria, de cuius utero servi forma suscepta
est, in qua dignatus est apparere humillimus. Mater Syon dicet homo, et ho-
mo iste qui dicet mater Syon, factus est in ea. Homo factus est in ea. Nam deus erat
ante eam, et homo factus est in ea. Qui homo factus est in ea, ipse fundavit
eam altissimus, non humillimus. Homo factus est in ea humillimus, quia verbum caro
factum est et habitavit in nobis. Ipse fundavit eam altissimus, quia in prin-
cipio erat verbum et verbum erat apud deum, et deus erat verbum; omnia per ipsum
facta sunt. Quia vero condidit istam patriam, hic habet honorem. Repulit
eum patria in qua generatus est; suscipiat eum patria quam GENERAVIT.